



*Exemplar  
correctus  
a  
P. C. de lae*

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
TEL:02/734 55 42

## DE AESTATE LATINA

Hac aestate duo seminaria Latina moderatus est Dr P.C. Eichenseer, unum in Helvetia, alterum in Belgica, ambo frequentissima. Non fortuito, ut opinor, seminaria Latina, in Germania primum instituta, paulatim migraverunt ad Europae regiones intermedias; nusquam enim melius exerceri potest Latinitas Viva, quam in regionibus intermedis, quo undique homines diversi facile confluere possunt; quibus condicionibus non solum sermo Latinus fit instrumentum communicationis necessarium sed etiam omnes participes, e quacumque regione oriundi, sentiunt sibi aliquid patrium esse in Latinitate, quo, mente et animo, alter alterum propior fit. Hoc est praecipuum miraculum Latinitatis Vivae, quod percipere tantum possunt ei qui huius modi seminaris interfuerunt.

Mihi licuit per duos dies seminarium Helveticum, exeunte mense Iulio ad Lacum Quattuor Regionum habitum, participare. Circiter quadraginta erant participes e diversis regionibus ~~adventi~~ *adventi* inter quos multi novi. Intererant etiam nonnulli peritiores qui cupiebant non tantum instrumentum ipsum colere sed instrumento uti ad aliquid nonnullius momenti communicandum. Sic mihi contigit Robertum Maier auscultare, qui scite de electricinis carbonariis necnon nuclearibus locutus est, Professorem Petrum Borlé, qui de originibus universitatis Lausannensis narravit, et Professorem Raymundum Pfister, qui de grammaticae terminologia peritissime disseruit.

Circiter quindecim diebus post, incohatum est seminarium ad litus Belgicum, sole mire splendente. Plus quam quadraginta homines interfuerunt, inter quos Francogalli numero multo maiore quam superiore anno et quatuor Nederlandi, cuius nationis nemo antea seminarium Vestendense



Lucas DEVOLDERE

*qui linguam Latinam docet in Gandavensi collegio Stae Barbarae, gregem seminarii Vestendensis per vias aedificaque mirabilia urbis Gandavi duxit omniaque Latine mirum in modum explicavit. Post Paulum Elsen, qui gregis nostri mystagogus Latinus superioribus annis fuit, Lucas Devoldere demonstrat quid linguae Latinae magistri facere valeant... si velint.*

# De Feriis Latinis Nicensibus (17-24/VIII 1987)

Feriae Latinae Provinciales annis 1984° et 1986° in Castello "La Castille" municipii "La Crau", anno 1985° Sophiae Antipoli actae erant. Propter refectionem dicti Castelli, nunc Nicaeae, in Universitatis Nicensis aedibus celebratae sunt.

Numerus participum omnes exspectationes superavit, nam circiter sexaginta aderant homines ex decem nationibus oriundi. Fortasse etiam plures erant praesentes, nam multi singulas lectiones audiebant, qui nomina in indicem inscriptorum non dederant. Plurimi ex Italia venerant, complures ex Francogallia, Germania Occidentali, Austria; neque deerant Americani, Angli, Bulgari, Finni, Helvetii, Jugoslavi. Erant ibi homines omnium munerum et professionum, scholares et studentes, iuniores et seniores, omnis aetatis viri et feminae.

Cubicula feriantibus praebuit Aedes Sancti Antonii (Résidence Universitaire Saint-Antoine), ubi post cenam etiam phono- vel videocasetarum auditiones et colloquia Latina fieri poterant. Lectiones autem et disputationes aliisque labores acti sunt in magno auditorio Facultatis litterarum (U.E.R. Lettres et Sciences humaines, 98, boulevard Herriot). Pro refectorio erat Capona Universitaria (Restaurant Universitaire), ubi ientaculum, prandium et cena sumebantur.

Programma singulorum dierum missa Latina in Sacello Sancti Antonii de Ginestiera celebrata incepit. Quod sacellum in summo colle situm ab S. Antonii aedibus paene tria chiliometra abest, sed autoraedis privatis, quibus multi ad ferias venerant, facilis erat ascensus, quamquam quidam ad corpus curandum interdum et pedibus in missam a Patre Basilio aut Patre Suitberto aut simul ambobus actam ire solebant. Post ientaculum sequebantur sessiones plenariae et lectiones, quae prandio circa meridiem sumpto post breve intervallum a tertia postmeridiana hora usque ad sextam continuabantur. Deinde illi, qui volebant (et eramus plurimi) Stephano Torelli dirigente in cantibus Gregorianis canendis se exercebant. Neque post cenam omnibus requiescere placuit, sed multi erant iuvenes, qui in studium (Salle de travail) aedium S. Antonii conveniebant, ut Latine usque ad noctem colloquerentur.

In sessionibus plenariis Pater Suitbertus de linguistica generali quater disseruit. Aliarum lectionum themata erant: De motu cordis et sanguinis secundum Harvey (Diana Licoppe), De Propertio et Sannazaro (Godo Lieberg), De Guillermo Occamensi (Albinus Dobsevage), De philosophia et de physica hodierna (Robertus Maier), De itinere archaeologico in insulis Graecis (Carolus A. Cerruti), De utilitate linguae Latinae in vita hodierna (Joannes Daly), Quaenam ecclesia in sua constitutione ab antiquo Romanorum imperio sumpserit (Dominicus De Lorenzo), De calamitate Tzernobylitana (Claudius Piga), De philosophia Sancti Augustini (Silvano Buscaroli), De minoritatibus ethnicis (Bernhardus Schweiger), De lingua Latina in processu Johanna d'Arc (Clemens Desessard), De Finnorum litteris Latinis & De Kalevalae Latinae cantione quinquagesima (Thomas Pekkanen). Paula Marongiu, magistra Florentina, Feriarum Latinarum frequens particeps, impedita erat, quominus Nicaeas veniret, sed textum De

damnatione Franciscae Ariminiensis, quem illa miserat, audientibus legit Th. Pekkanen.

In magno participum numero lectiones ab omnibus recitari non possunt. At ut unusquisque Latine coram ceteris aliquid loquatur, mos est in Feris Latinis, ut singuli participes de se suisque studiis narrantes vicissim se repraesentent. Quod nunc quoque factum magno fuit usui, ut alias alium melius citiusque cognosceret.

Quamquam programma studiorum tam varia et multiplex erat, nihilominus recreationi tempus non omnino deerat. Multi nostrum horis post prandium aut vesperi liberis in litus marinum descendere solebant, ut maris aquis sudoribus ablatis refrigerarentur. Iucundissimae erant etiam nocturnae per urbem ambulationes, quibus fieri potuit, ut et antiqua et moderna monumenta aliaque mirabilia viderent, qui somnum ante tertiam noctis vigillam capere non poterant. Iovis die (20/VIII) cenam Romanam sumpsimus (qui participare volueramus) in caupona nomine "Domus Apiciana" (32 rue Pertinax); triclinium more Romano ibi est ornatum, cauponariae puellae inter fercula saltant, omnis denique apparatus efficit, ut velut apud Trimalchionem te cenare censeas. Sabbati vesperi (22/VIII) in studio S. Antonii aedium acta est a participibus fabula mirabilis, cuius argumentum ex cantionibus II-IV Kalevalae Latinae sumptum Christina Sociarelli ad scaenam scientissime adaptaverat. Finito spectaculo auditores maximis plausibus histrionum gregi favores ediderunt. Dominica die (23/VIII) omnes autoraeda longa excursionem Forum Iulii (Fréjus) fecimus, ubi amphitheatrum, aqueductus Romanos aliaque multa vidimus, ut nihil dicam de regionis amoenitate, quam per totum iter etiam in autoraeda aëris temperati commode sedentes admirabamur. Diem clausit cena apud Simonem cauponarium sumpta, post quam Godo Lieberg, ut decebat, Clementi Desessard donulo dato debitas Latina oratione nomine omnium egit gratias.



Thomas PEKKANEN

# De Symposio Saravipontano, paucissimis ...

SYMPORIUM DER ARBEITSSTELLE FÜR NEULATEIN  
DER UNIVERSITÄT SAARBRÜCKEN  
VOM 28.8.1987 - 29.8.1987

Sic intitulabatur ordo rerum agendarum, ad participes missus.

Quando tandem sermo Latinus certam patriam inveniet? Ex ipso enim titulo patet rei ambiguitas. Certe, Professor Bauer et Doctor P.C. Eichenseer, qui symposii instigatores fuerunt, in animo habebant recensionem facere copiae vocabulorum Latinorum, quae nostris temporibus in promptu sunt in diversis disciplinis atque inquirere quomodo vocabularii lacunae compleri possint.

Certe Professor J.P. Bauer eiusque uxor, quae omnibus participibus diligentissima amabilissima hospita fuit, obtinuerunt ut symposium haberetur in lauto oeco consessorio aedifici V<sup>i</sup>, quod est sedes Praesidis, vicepraesidentium necnon universitatis administrationis centralis.

Certe nobis honori fuit oratio inauguralis quam habuit Universitatis Vicepræses, qui, quamquam Theodisce locutus est, finem facere voluit verbis Latinis.

Certe Dr P.C. Eichenseer in verbis liminaribus clare patefecit tres symposia esse scopos, scilicet:

- Scripta Latina post XVII<sup>o</sup> s. divulgata bibliographice colligere,
- In quibus, verba recentiora lexicographice colligere,
- Condere verba nova necessaria ad communicationem universalem hodiernam, qui ultimus scopus plane pertinet ad Lati-nitatem Vivam.

Sed cum nullum officialem locum Latinitas Viva teneret in studiorum universitate, necessarium fuit symposium officialiter proponere velut rem tantum pertinentem ad Sedem Studiorum Neolatinorum, quae penes cathedram doctrinae cultus civilis et rei socialis Europæ ante paucos annos condita est, cui tamen opes praebet Societas Latina.

Cum Prof. Christianus Helfer, cuius haec est cathedra, ad primam acroasis habendam invitatus esset, locutus est "De experientia copiositatis et difficultatum lexicographiae Latinae". Nonnulla dixit quae aures Latinitatis Vivae cultorum vehementer laeserunt. Imprimis proposuit ut disputationes post acroases fierent Theodisce non Latine. Postea dixit longitudinem syllabarum respicere eamque accentibus indicare nullius esse utilitatis, cum syllabarum longitudo iam a Medii Aevi temporibus neglegeretur et ceterum ad scribendum inutilis esset. In ipsa acroasi, tractavit de futuro lexico Anglo-Latino, Silva verborum, cui operam dat; ibi permixte proponentur vocabula Latina talia qualia inveniuntur in libris a XVII<sup>o</sup> s. editis.

Quamvis ergo Symposii initium valde ambiguum, nisi plane Latinitati Vivae infestum, fuisset, postea nihil audivimus, quod ei non saveret. Omnes quaestiones Latine posital sunt, omnes disputationes tantum Latine factae sunt et lapidem attulerunt ad aedificium Latinitatis Vivae extruendum. Locus nobis deest ad referendum de omnibus acroasibus. De his plura certe legi

poterunt in Voce Latina. Praeterea textus omnium acroasium verisimiliter in fasciculo speciali edentur.

Singulorum acroasium vix plus quam titulum indicare possumus.

Prof. Iohannes Paulus Bauer, iurisconsultus, "De notionibus iuridicis prioribus et recentioribus" tractavit. Inter alia dixit maiorem lacunam hodie esse in vocabulario, quod ad res oeconomics spectat.

Doctrix Sigridis Albert "De historiographia temporum posthumanisticorum" tractavit. Inter alia nonnullorum quaestionum statum exposuit: "Utrumne historia scientia est annon" - "Quomodo historia in nationibus Europæis percipitur post secundum bellum mundanum."


Doctor Gaius Licoppe "De terminologia medica temporibus posthumanisticis aucta" vel potius, ut ipse proposuit, "De pristina atque hodierna lingua medicina" tractavit.

Dixit maximam iam exstare copiam Latinorum vocabulorum specialium, quae spectant ad linguam medicinam hodiernam. Quae lingua, cum sit eximie viva, novis vocabulis continuo eget; quae secundum linguae Latinae normas singantur et in periodicis Latinis divulgantur oportet.

Nicolaus Gross "De nomenclatione botanica et zoologica" tractavit atque inter alia explicavit quibus certis regulis adhuc fingerentur nomina propria Latina, specierum nostris temporibus inventarum.

Prof. W. Braun, musicologus, qui ipse advenire non poterat, textum suum miserat, quem palam legit Dr P.C. Eichenseer et cui titulus "De communi nomenclatione musica ante usum linguarum vernacularum."

Doctor Petrus Hrandek, ingenarius Vindobonensis, "De rebus mathematicis aetate posthumanistica multum aucta" tractavit. Maxima arte didactica locutus est de terminologia



Doctores P.C. EICHENSEER et I. RAMMINGER  
(sequitur p 13)

*Scitu dignum visum est id quod nobis ex Finnia  
nuntiavit Professor Thomas Pekkanen:*

Thomas Diana s.p.d.

Granivici de Vivaे Latinitatis Motu 13.5. in conventu professorum universitatis acroasin feci, quam auditores (inter quos nulli tamen erant latinistae, quod ipse solus Granivicensis latinista sum ordinarius, exceptis meis duobus collaboratoribus) benignissime acceperunt. Habui enim demonstrandas videocasetas Neapoli et Romae mense Ianuario huius anni factas et Melissae emissiones, ut suis auribus linguam Latinam hodiernam auscultare possent. Radiophonicam tamen acroasin nondum facere potui, fiet demum autumno, quo etiam in Societate classicorum in urbe Helsinki de eisdem rebus lectionem legam...

...Scripsisti patrem tuum Gatum in animo habere libellum de historia Latinitatis componere. De historia Latinitatis in Finnia a Medio Aevo usque ad hodie textum Fennicum iam abhinc decem annos scripsi et publicavi. Est 15 fere paginarum, sed si tibi patrique placuerit, potissima ex eo Latine ad usum Melissae et libelli futuri patris Gai vertere potero. Id tamen antequam exeunte hoc anno fieri non poterit, nam cetera iam antea promissa primum erunt solvenda. Nunc iam dicere volo: per multa saecula in patria nostra legibus sanctum fuit, ut scholares inter se nulla alia lingua nisi Latina loquerentur. Qui non oboediverant, puniebantur. Lex maxime commendabilis hodiernis quoque in condicibus.

### Iterum de linguis europaeis.

Haec responderim docto et comi lectori Ioanni Granata, qui quaedam adnotavit in "Melissa" (n.19, mense Iulio huius anni) de meo scripto "Tres linguae certant inter se".

Quo melius et celerius Europaei possint inter se communicare et invicem se intelligere, duae, ut mihi videtur, sunt hodie viae:

- 1) Universi Europaei discant et adhibeant in variis congressibus et conventibus duas linguas, anglicam et gallicam (quod iam plerumque fit);
- 2) aut discant et adhibeant universi unicam linguam praeternationalem (vel latinam linguam vel esperantum).

De esperanto, alias loquatur; ego quaedam strictim disseram de utraque via.

Quoad priorem, non modo ceteri cives europaei cogentur discere utramque linguam (quod implicat annos studii et ingentes impensas), sed Angli et Galli semper melius scient se exprimere propria patria lingua quam ceteri Europaei. Ne praeterea obliscamur "hegemoniam linguistica" sensim inducere "hegemoniam culturalem", quae efficit ut culturae nationum non hegemonicarum paulatim palescant.

Si contra lingua vehicularis Europae fiat lingua Latina, nulla natio europaea fruetur privilegiis non aequis, ac praeterea resurrectio linguae latinae vitae in Europa validissime efficiet ut vires tandem resumat "humanismus" graecus-romanus-christianus, qui sciat temperare technologiam et "consumismum" hodie triumphantes, et reddere culturam europeam humaniore et pleniorem.

Ut vero iam plures adnotavi, oportebit lingua latina (quae quidem iam docetur fere in universa

Europa) doceatur viva; praeterea exhibeant crystallinam structuram et promptam intelligibilitatem; nemo enim potest somniare fieri posse linguam vehicularem Europae illam arduam, labyrinthicam Auctorum latinorum.

Quae simplex et plana et illico intellegibilis lingua latina (quam saepe vocavi "cartesianam") est procul dubio facilis cogniti et adhibitu, etiam hac ratione, quod fere linguae Europae abundant radicibus latinis.

Profecto, hoc nostrum neolatinistarum programma est, ut italice dicimus, "a medio termino"; non cito audiemus per Europam voltare latinum vivum cartesianum, at haud dubie hoc est iter quod est ineundum, firma et alaci voluntate, omnibus quibus cordi est ut in Europa renascatur "humanismus" qui homini restituat plenam suam dignitatem eumque consideret non "instrumentum", sed "finem" evolutionis historicae.

Guido ANGELINO - Italus  
(Occimiano - AL)

*EX ITALIA amicus noster I. Carolus ROSSI ad nos renuntiavit haec inexpectata:*

### LINGUA LATINA IN CAUSAM VOCATUR.

Die Veneris, Maii mensis XV, anno post Christum natum MCMLXXXVII, in Municipio Bressensi, qui pagus a Mediolano decem fere chilometra distat, Lingua Latina in ius vocata est. Quaestio erat utrum latine discere iuvaret necne. Exercuit iudicium Gherardus Colombo, qui iudicis munere in Tribunali Mediolanensis fungitur; accusatoris officium Joannes Franciscus Candela jurisperitus suscepit; patroni Nicolaus Flocchini lycei praeses litterarumque doctor, Joannes Carolus Rossi architectus, Salvator Catalano advocatus. Ut testes arcessiti sunt Vincentius Giffoni praepositus publicae institutioni in regione Longobardorum curandae, Caesar Marchi diurnarius ac facetissimus linguarum et Italicae et Latinae cultor, d. Lambertus Pigini qui fabellas imaginibus nubeculisque auctas curat edendas, Claudius Piga machinator, Axelius Schönberger glottologus, Georgius Levis scholae praeses qui in locum Vidonis Angelino alibi detenti substitutus est. Judices iurati quattuordecim ex civitate Bressensi sunt delecti. Rei auctor Xaverius Pagano assessor in municipio institutioni publicae procurandae. Quid actum siet narrabitur alias; hic sat est referre quid praetor, testibus auditis, pronuntiarit.

### "IUDICUM IURATORUM MAIOR PARS ITA PRONUNTIAVIT.

Quum testes institutione Linguae Latinae hominum ingenia excoli; altiores animorum radices repeti; praestantissimas humani cultus opes, quae interdum negleguntur, recuperari; inclinationi denique ad suum cuiusque animalium formandum et ipsi pulchri appetitioni obsecundari, convicerint, idem Nobis Latine discere per se iuvare probaverunt. Quam ob rem Linguam Latinam de inutilitate absolvimus.

Quum tamen propter nonnulla indicia quae ex actis colligere licuit, suspicio ceciderit in docendi rationem, quae, ut hodie fit, significantiam praestantiam linguae depravare videatur, jubemus acta publico accusatori tradi ut sonentes deprehendantur cum illisque agatur ex iure."

# *De arte typographica*

## *antiqua et moderna (sequitur)*

Revertamus ad picturas imprimendas. Ars calcographica corroboratur in Europa eodem tempore ac incunabula: Albrecht Dürer fuit vir praeclarus in hac arte exercenda. Etiam in calcographia, ut in xylographia, efficitur translatio inversa picturae chirographae: nunc autem translatio est in laminam aerariam, quae inciditur ubi in pictura chirographa sunt lineae.

Calcographia, p[re] xylographia, efficit picturas nitidiores: ad libros ornandos picturis, typographi ea uti cooperunt millesimo sescentesimo saeculo, postquam ortum est artificium incidendi figurae ope acidi, quod efficit aeris incisionem automaticam. Ratio operandi est haec: primum lamina aeraria inducitur vernice; deinde artifex transfert picturam chirographam in laminam: ideo vernicem scalpit ac detegit aes; tum lamina aeraria mergitur in acidum cui nomen "aqua[fortis]" (i.e. vitriolum mixtum nitro); quae partes aerariae laminae non inductae sunt vernice, eas acidum scalpit.

Aes atramentum accipit ubi incisum est (immo in typographia et xylographia atramentum accipitur ubi partes eminentes sunt). Ante impressionem, atramentum quod superest, aufertur strigilli metallica.

Cum ars calcographica diversa sit a typographica, paginae quae una habent litteras et picturas calcographicas imprimuntur bis. Prelum semel imprimit characteres, iterum picturas.

Ea ars quae dicitur "stereotypia" fuit magni momenti ad incrementum artis typographiae. Inventa anno MDCCXXXIX (millesimo septingentesimo undequadragesimo), typographi ea usi non sunt nisi saeculo circiter post. Stereotypia est artificium quo exemplaria simillima formae compositionis efficiuntur. Ad hoc exitum consequendum, lamina spissioris chartae superponitur formae compositionis, ac ei premitur. Typorum impressio accipitur spissiore charta, qua typographus utitur ut nova matrice (appellatur "flanum").

Tum metallum conflatum funditur in

recessus flani. Metallum

soldescit et fit lamina ferens

characteres eminentes (i.e.

"stereotypum") sicut archetypum

formae compositionis.

Typographus utitur hac lamina, perfusa atramento, ad imprimendam chartam.

Duplex dos est stereotypici artificii: quod liber quisque potest imprimi rursus, cum typographo opus non sit servare formas compositionis, vel typos componere rursus; et quod liber idem potest imprimi in plurimis prelis, cum typographus velit imprimere multa exemplaria brevi tempore. Quod magni momenti est in actis diurnis imprimendis.


Ultima parte prioris saeculi, ope machinarum quibus nomina "Linotype" et "Monotype", compositio typorum potest effici mechanice. Quod videtur progressus magni momenti.

"Linotype" machina excogitatur anno MDCCCLXXVI (millesimo octingentesimo octogesimo sexto). Typographus componit characteres ope clavium: cum versus iustus componatur, omnes typi qui ad eum pertinent conflantur uno tempore in summa. Auxilio "Linotype" machinae, typographus

assequi potest celeritatem sex milium characterum in hora (immo in hora).

"Monotype" machina excogitatur anno MDCCCLXXXIX (millesimo octingentesimo undenagesimo). Hic quoque typographus componit characteres ope clavium: at il transcribuntur in taeniam chartae, quae perforatur iuxta codicem numericum qui consociat characteres cum perforationibus. Tum taenia chartae inseritur in machinam fusioram, quae facit typos. Typi conflantur singulatim: igitur scriptorum emendationes sunt faciliores.

Anno MDCCCXIV (millesimo octingentesimo quarto decimo) vis humana, qua opus ad agitandum prelum, substituitur pro vi thermica: novissimum prelum, a König excogitatum, efficit ut impressionis sumptus minuant quartam partem. Posthac, in officinis typographicis videmus, iuxta prela usitata, i.e. plana, prela rotantia. Stereotypiae gratia enim effici possunt laminae stereotypae cylindratae, praeter planas. (fig. 7)



Prelum excogitatum a Koenig, vi thermica agitatum Fuit truentio maximi momenti, praecipue ad acta diurna imprimenda.

Medio saeculo undevicesimo, una cum photographiae progressu, artificium photoincisionis adolescit, quo comparantur automatice laminae ad usum imprimendi typographica ratione promptae, ut fit in calcographia. Ratio operandi est haec: a) lamina aeraria (sive ex zynco) inducitur vernice photosensibili; b) pictura chirographa, cuius exemplaria typographus imprimere vult, photographatur; c) lamina metallica illustratur interposita pellicula photographica negativa, quae pertinet ad picturam chirographam; d) lamina mergitur in acidum, quo scalpit in omnibus partibus, praeter quas lux percussit. Lamina sic incisa inseritur in forma compositionis, ut picturae et litterae imprimantur stimul.

# SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

## De scriptura symbolica mathematicae.

Doctor Petrus Hrandek Vindobonensis accurate incubuit in quaestionem signorum mathematicorum Latine enuntiandorum. Ad quam translationem faciendam inter alia studuit sermoni Latino scientifico et historiae scripturae algebraicae. Cum Ludos Latinos Frisingenses superiore anno participaret, rogatus est ut scholarchae munere fungeretur. Quam scholam "De scriptura symbolica mathematicae" nobis licuit auscultare. Multa parum nota ibi comperimus, quae, auctore volente, nobis visa sunt lectoribus proponenda.

Scripturae algebraicae historia divisa est in partes tres:

1. <1200: algebra rhetorica.

Huic sermoni insunt verba, termini technici et numeri terminati.

e.g.: unum et duo; 2.

2. c. 1200-1600: algebra syncopata.

Hic invenimus abbreviationes et partes sententiae.

e.g.: unum flp duo; res.

3. > 1600: algebra symbolica.

Haec symbolis, notis computandi et numeris exprimitur.

e.g.:  $a+b$ ; X.

At, cum ad signa symbolica pervenimus, quaestio est: quomodo hos numeros indeterminatos declinare possumus? P. Hrandek declinationem exponit:

*Etiam signa mathematica Latine explanat:*

Symbolum	Enuntiatio
=	aequalis, e est
≠	non aequale est Inaequale est
>	maius est quam
<	minus est quam
≥	non minus est quam; maius est quam ... aut aequale est
.	per; multiplicatum per;
:	divisum per
+	et; plus
-	minus
{ } (rotundi)	uncini (rotundi) (uncinis saeptum)
[ ]	uncini angulati
{ }	uncini alati

## Arithmetica

Casus	Exemplum	Enuntiatio
nominativus	$a = 3$	a aequale est numero tres
genetivus	$f(x)$	functio ipsius x; functio variabilis x
dativus	$x = a + b$	x aequale est aggregato a et b
accusativus	$a \cdot b$	a multiplicatum per b
vocativus	-	-
ablativus	$x = a - b$	x aequale est ipsi a subtracta quantitate b

Declinatio numerorum  
indeterminatorum

Symbolum	Enuntiatio
$\sqrt{2}$	radix quadrata ex numero duo
$\sqrt{a}$	radix ex a
$\sqrt[3]{2}$	radix tertia ex numero duo
$\sqrt[n]{a}$	radix n-ta ex a
$\sqrt{a^2 + b^2}$	radix ex aggregato a in se et b in se

## Radices

Symbolum	Enuntatio
$a^0$	a ad nullam potestatem elevatum; unitas
$a^1$	a ad primam potestatem elevatum; a ad primam; ipsius a; radix a
$a^2$	a quadratum; a in se; quadratum ipsius a
$a^3$	cubus ipsius a; tertia potentia ipsius a
$a^n$	a ad n-tam potestatem elevatum a ad n-tam; a in n-tam
$a^{-2}$	unitas divisa per quadratum ipsius a; a cum exponente minus 2
$\sqrt[3]{a}$	radix ex tertia potestate quantitatis a

## Potestates

Symbolum	Enuntatio
$f(x)$	functio variabilis x; functio ipsius x
$\lim_{n \rightarrow \infty} x_n$	limes membrorum x cum indice n, n ad infinitum progrediens
$1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \dots$	unum et dimidium et una tertia et cetera usque ad infinitum
$f'(x)$	functio f uncinatum ipsius x; f derivatum respectu variabilis x
$\frac{dy}{dx}$	dy divisum per dx; quotus differentialis ipsius y respectu variabilis x
$\int_a^b f(x) dx$	integralis functionis f ipsius x respectu variabilis x
$\int_a^b f(x) dx$	integralis intra limites a et b functionis variabilis x (respectu ipsius x)
$(a, b)$	intervalum intra a et b
$\{x_n\}$	series(!) continens membra x cum indice n; copia ipsorum x cum indice n

## Analysis


*Et nunc... ad exercitationes! Potesne, lector,  
hanc Newtonianam enuntiationem in sermonem  
algebraicam vertere?*


Symbolum	Enuntatio
$\triangle ABC$	trigonum A, B, C
$\overline{AB}$	linea ab A ad B
$\vec{AB}$	vector ab A ad B
$\overline{AB} \perp \overline{CD}$	AB orthogonale est ipsi CD
$\overline{AB} \parallel \overline{CD}$	AB linea parallela est ipsius CD
$\triangle ABC \sim \triangle EFG$	trigonum ABC simile est trigono EFG
$\angle(a, b)$	angulus inter a et b
$\sin \alpha$	sinus ipsius $\alpha$

## Geometria


Latine.	
<b>Mercator habet nummos quosdam. Ex quibus anno primo expendit 100 lb. Et reliquum adauget triente. Annoque secundo expendit 100 lb. Et reliquum adauget triente. Et sic anno tertio expendit 100 lb. Et reliquo trientem similiter lucratus est. Fitque duplo ditior quam sub initio.</b>	

(responsum p. 13)





# MELISSA



## LITTERARIA

### De Henrici Reinhardi haicubus Latinis.

Henricum Reinhardt, doctorem philosophiae et theologum, socium Societatis Latinae iam plurimas commentationes lingua Latina scripsisse quis nostrum ignorat? Sed pauci sciunt eundem virum "haicua" omnium primum Latine pepigisse atque privatim edidisse.

Sed quae sunt haicua? Auctor ipse in "Epilogo de conscribendis haicubus" nos docet:

"Genus haicum inde a saeculo XVI, quo inventum est, Iaponorum virorum litteratorum maxime interfuit. Nec unus enim e doctis fuit, cuius otia non potissimum explerentur haicubus aut pangendis aut legendis, cum arte bona exscribendis vel tranquille audiendis..."

Tam valida haicua vena, ut porro ad alios populos vim suam circumspargeret. Fuit autem hoc saeculo XX ubique terrarum taedium dictionum complicatarum... fuit praeprimis amplissima ferventissima egestas veritatum epigrammaticarum...". (Etiam apud nos inveniuntur multi poetae qui haicua pangunt, e.g. Clara Timmermans, Bartholomaeus Mesotten, Hugo Claus.) "Haicua sunt poemata tres versus exhibentia, quorum primus quinque, secundus septem, tertius rursus quinque syllabas complectitur." Auctor noster versum septem syllabarum etiam ad priorem, etiam ad postremum locum transfert. Haicu ergo "retinet unitatem strictissimam imaginis evocatae... praedilectionem duorum oppositorum... retinet imprimis habitum quendam brevitatis ac taciturnitatis et aenigmatis, quasi non loquens poeta, immo natura ipsa tacendo nobis alloquatur."

Henricus Reinhardt in libello suo optime confecto XX haicua nobis donum dedit, in quibus ingenium Latinum et simplicitas Iaponica feliciter inter se coniunguntur. Quasi promulgatam litterariam aliqua haicua tibi gustanda praebeo.

Idem etiam tibi suadeo quod et ipse auctor in fine libelli: "Eme et habebis! Immorde in haec poma et sapies denique sucum Latinum! ...".

priscia piscina  
de verbena salicis  
incident gutta

Quod haicu Basno poetam antiquum redolet; arte tamen mira est scriptum; nam cumulati soni -i leviores reddunt versiculos, g- et t- autem efficiunt ut guttas decidentes audire nobis videamur.

poenitentia	
in atra aede	
scamna <sup>(1)</sup> frigore crepant	
	rosa perfecta
	valde erecta
	passerculo flectitur
domum terunt	
pruinosam nebulam	
solus admiror	
	pruina gravis
	quando micabit
	croceus clavus caeli <sup>(2)</sup>
parus fritinnit	
festinat inter ramos	
pinu mortua	
	manu callosa
	genam meam permulcit
	mater tremulam

(1) Scamna : sedilia monachorum in ecclesia.

(2) Clavus caeli : waterlelie, nénuphar, Wasserlilie.

MARCELLUS SMETS BELGA.

### Mox... "INSULA NIGRA"

Die 12° m. Septembris nobis contigit exemplar experimentale "Insulae Nigrae" contemplari, cuius exemplaria definitiva sequentibus diebus imprimentur in domo editoria Casterman. Quod opus, ingeniosissime atque iucundissime in Latinum a Dre P.C. Eichenseer versum, mense Octobri venale prostabit.

Quo tandem flet ut Titinus et Milulus Latine loquantur...

## EINO LEINO :

*Sequentes versus, quos anno 1903° pepigit Finnus poeta  
Eino Leino (cf. Melissa 15, 1986, 6-7), Thomas PEKKANEN in  
Latinum vertit atque ad nos misit divulgandos.*

## Virgo et regalis iuvenis.

Virgo, sedens supra fontem  
triste carmen cantillabat  
inclinante se iam sole  
ortis tenebris opacis,  
cum ardebat fax autumni  
Ursae sidere micante.

Sedes resonat silvestris,  
tonant tesqua tenebrosa,  
proruit vir vespertinus,  
regis filius formosus  
vectus fulgido veredo;  
postquam equo dedit potum,  
virgini facete fatur:  
"Quando fies mihi nupta?"

Dictitavit dulcis virgo:  
"Denique tum tua flam,  
cum hic ardor acquiescat."

Regis filius formosus,  
equum postquam pectinavit,  
virgini facete fatur:  
"Quando quidem acquiescat?"

Virga viridis profatur:  
"Ardor ante non quiescit  
quam sim caerulea crux campi."

Regis filius formosus  
cruce pectoris exuta  
virgini facete fatur:  
"Eris quando memor mei?"

Sussurrat subtile fenum:  
"Equidem te recordabor,  
num tu mei memor eris?"

Regis filius formosus  
manum virginis mulcebat,  
crucem pectore pependit.  
"Ante te non obliviscar  
quam sim campi rubrum gramen"

Insilit in equum ipse,  
fugit velut fulgens telum;  
ibi virgo mirabatur  
Ursae sidere micante.

Regis filius formosus  
est in proelia profectus,  
in certamina cernenda;  
illa virgo vespertina  
domum illt dolorosa,  
crucem pectore portabat.

Regis filius formosus  
ferrum denique foedavit  
fratris sanguine funestus;  
petit portas consecratas,  
ubi monachus manebat.

Illa virgo vespertina  
diu desiderat dilectum,  
multum maeret ob amissum;  
virum bonum sibi sumpsit,  
quamvis esset minus gratus.

Regis filius formosus  
carnem verbere castigat  
in cubiculo culposam;  
illa virgo vespertina  
crines tristes pectinabat  
in cubilibus ignotis.

Regis filius formosus  
in angoribus acerbis  
Dei gratiam precatur;  
illa virgo vespertina  
ignem excitat ignoto,  
natum nutricat ignoto,

pecus curat peregrinum,  
peregrina fila filat;  
peregrino horis seris  
comes est et matutinis,  
parat lectum peregrino,  
audit peregrina verba.

## De Feris Latinis Nicensibus (sequitur)

Lunae die (24/VIII) multis nostrum  
ob causas diversas iam mane domum  
versus proficiscendum erat. Reliqui  
autem in auditorium rursus  
convenimus, ut de Feris Latinis futuris  
consultaremus. Cum refectiones  
Castelli "La Castille" etiam anno 1988°  
continuabuntur, omnibus praesentibus  
optimum visum est Ferias Latinas  
Provinciales proxima quoque aestate  
Nicaeae celebrari. Tempus maxime  
idoneum ad Ferias agendas plerique  
septimanam 22-27/VIII 1988 esse  
censebant. Quoad domum Feriarum, ne  
Clemens Desessard nimias cum  
magistratibus universitariis  
disceptans tribulationes pateretur,  
constituimus, ut, si fieri posset, sedes  
Feriarum in Conventu quodam in via  
Franck Pilatte sito quaereretur.

Feriae Latinae Nicense eventus  
internationalis fuerunt, ubi vis vivae  
Latinitatis ad homines diversarum  
gentium coadunandos forsitan clarius  
quam umquam antea offulsit. Summis  
laudibus celebrandus est Clemens  
Desessard, qui locum elegerat,  
programma praeparaverat, omnia  
denique ita ordinaverat, ut ceteri ad  
Ferias velut in convivium paratum  
veniremus. Relationem meam  
concludere volo verbis a Clemente  
Desessard dictis, quae in Actis "Nice-  
matin" die 20/VIII leguntur: "Maxima  
inuria, linguae Latinae illata, est eam  
pro instrumento culturali neque pro  
lingua communicationis habere" (le  
plus grand tort que l'on ait fait au latin,  
c'est de le traiter comme un instrument  
de culture et non comme une langue de  
communication).

Lingua Latina non est ancilla  
ceterarum scientiarum, sed in  
hodierno quoque mundo linguarum  
regina et vinculum unionis.

Thomas (Tuomo) Pekkanen  
Helsinkiensis

## Nova Melissae subnotatio

Hic MELISSAE numerus est primus novae in quartum annum subnotationis (1987-1988). Noli obliisci pretio subnotationis (400 FB) fungi! Pecuniamittenda est ad hunc computum mandatorum cursualium:

AMICI MELISSAE

Bruxellis CCP: 000-1484533-45


Si pictura chirographa non est linearis, sed consistit in partibus plus minusve pullis, eae convertuntur in summam punctorum nigrorum. Quod efficitur photographando picturam chirographam (vel photographiam cuius exemplaria imprimenda sunt) interposito reticulo, quod anglice appellatur "raster". Partes pulliores convertuntur in puncta magnitudine superiore.

Sic photographiae ingressae sunt in acta diurna, praecipue illa populariter scripta.

Primo nostro saeculo, ope photoincisionis et reticuli artificiorum, ars typographica matura est ad picturas multicolores imprimendas. Primi exitus satis iucundi sunt.

In memorabili experimento quod factum est anno MDCCCLIX (millesimo octingentesimo undesexagesimo), J.C. Maxwell, vir rerum naturae peritissimus, explanavit lucem cuiusvis coloris fieri posse ex mixtura trium colorum e.g.: ruber, viridis, et acriter caeruleus (hi colores dicuntur principales). Haec ratio miscendi colores nuncupatur synthesis consummativa colorum illustrum (videlicet pertinens ad colores lucis). In multis coloribus teleorasi agitur de hac ratione.

Si colores principales collocantur in verticibus trianguli, facile explanatur quemvis colorem inscribi posse in hoc triangulo. E.g., color qui in ultima imagine huius scripti significatur littera P, dicitur ex septendecim partibus coloris rubri, duodecim partibus coloris viridis, et quindecim partibus coloris acriter caerulei. In synthesis consummativa, partes aequabiles trium colorum edunt lucem albam. (fig. 8)



Triangulum colorum: in medio triangulo est album, in verticibus colores principales. Colores quibus ars typographica utitur inveniuntur in mediis lateribus trianguli.

Sed in arte typographica agitur de pigmentis, non iam de luminibus: ideo utitur ratione synthesis subtractivae. Eadem ratione utuntur pictores in pigmentis commiscendis. In hac ratione utiles sunt, e.g., colores principales: sed in arte typographica mos est uti iis coloribus (vel atramentis, si atramentum aliter esse potest ac nigrum): flavo, purpureo et subcaeruleo. Mixtura subtractiva binorum colorum typographicorum dat colores principales; partes aequabiles trium colorum typographicorum additae dant colorem nigrum.

Ut ex multis coloribus pictura chirographa (sive

pictura photographica) effici possit typographica impressio, pariter multis coloribus, oportet photographare picturam ter, identidem alio colo optico. Color uniusculiusque coli est aliis post alium ex tribus coloribus principalibus: ruber, viridis, et acriter caeruleus. Ex tribus photographiis deponuntur tum tres pelliculae photographicae (albae et nigrae quaeque, et diapositvae), quae aptae sunt ad tres laminas aerarias (sive ex zynco) photoincidendas. Una cum photographica captione (vel deinceps) reticulum inseritur ad variorum colorum partes picturae exprimendas.

Conspiciamus, in triangulo colorum, collocationem trium colorum typographicorum, p[re]a coloribus principalibus. Mutua relatio inter eos est haec: pellicula deponpta ope colo acriter caerulei adhibetur ad photoincidendam laminam quae inducetur atramento flavo; rubrum colum respondet subcaeruleo atramento; viride colum respondet purpureo atramento.

Charta quae imprimenda est tribus coloribus inseritur ter in prelum (planum vel rotante); semel in singulam laminam photoincisam. Plerumque quartus color, niger, additur tribus coloribus typographicis, qui stricta ratione satis essent ad picturas exprimendas. Quod efficit picturas nitidiores. Haec ratio imprimendi "quadrichromia" dicitur.

Per saecula amplius quattuor, in libris edendis, semper impressio characterum alphabeti facta est typographica ratione, i.e. ope typorum eminentium forma compositionis, sive ope stereotypi ubi characterum figurae eminent ex lamina metallica. Hodie characterum vel picturarum impressio potest esse aut typographica, aut scaligraphica (ea autem dicitur plerumque rotocalcographica) aut planigraphica (nota est sub anglico nomine "offset").

Artificium rotocalcographicum, quod excogitatum est ultimo priore saeculo, exoritur ex calcographia: hic quoque typographus utitur, ad characteres sive picturas exarandas, lamina metallica (ex aere sive zynco). Ea lamina, ope photoincisionis artificii, dividitur in summam cellularum sculptarum, quae atramentum plus minusve accipere possunt. Laminae sunt aut planae, aut cylindratae. Ut in typographica impressione, singula lamina opus est unicuique colori exarando. Quo cellulae, in quas lamina impressionis dividitur, altiores sunt, eo plus atramenti accipiunt.

In rotocalcographico artificio, reticulo necesse est non modo ad picturas exarandas, sed etiam ad characteres. Igitur litterae impressae non tam clarae videntur ut in typographica ratione.

Artificium cui nomen "offset", excogitatum anno MCMIV (millesimo nongentesimo quarto) oritur ex lithographia, cuius ratio est discordia chemica aquae et materiarum crassarum. Hic quoque utitur lamina impressionis (plana vel cylindrata) quae una inducitur, in diversis suis partibus, aqua et atramento (quod est materia crassa).

Ope photoincisionis artificii, lamina qua "offset" utitur dividitur in partes aptas ad atramentum accipendum, et partes quae atramentum repellunt. Quae partes, nec eminentes, nec scalptae. Hic quoque multis coloribus picturae exarantur ope punctorum, quorum magnitudo dat vim pigmento. Ut in typographica impressione, singula lamina opus est unicuique colori exarando.

In "offset" artificio, atramentum primum transfertur ex metallica lamina ad cumminosum cylindrum, deinde ad chartam. Anglicum nomen

"offset" artificio, comparari possunt ope usitatae rationis typographicae. Igitur characteres primum impressi sunt in charta tenuissima, translucida, deinde transferuntur -photoincisionis artificio- in impressionis laminas.

Hodie autem magis magisque utitur artificio photocompositionis, quod inventum est anno MCMXXXIII (millesimo nongentesimo tricesimo tertio) : sed non adolescit nisi primis annis septuagesimis huius saeculi. Omnia machinamenta, quibus opus est ad photocompositionem, computatrum administrantur. Photocompositionis machinae edunt characteres exaratos in ipsa charta (vel pellicula translucida) photographica, qua transferuntur -photoincisionis artificio- in impressionis laminas. Recentiores machinae utuntur, ad characteres exarandos, radio illustri, cui nomen LASER.

Postremo, nuperrime machina magni momenti ad incrementum artis impressoriae excogitata est, cui nomen electronicum scanner. Quod automaticce comparat pelliculas photographicas ad usum photoincisionis, et mox amoviturum est cameram photographicam, in hoc munere quidem. Haec machina quoque computatrum administratur. Pelliculæ quae comparantur scanner electronico, sunt vel reticulatae.

Denique, artis impressoriae progressus nostro tempore probari potest ex hoc: veterum librorum chirographorum, manu exaratorum ab amanuense, rubricatore ac pictoribus minutis picturis, hodie exemplaria automaticce et verissime confici possunt!

Claudius PIGA  
Italus

## De aestate Latina (sequitur)

participaverat. Etiam aliquis venit ex Hispania, ex Italia, ex Austria, ex Hellade necnon ex Iaponia.

Hic locus non est multa narrandi de seminariis hornotiniis; utilius mihi videtur perpendere id quod a nonnullis participibus palam dictum est de ipso scopo inter ultimam Vestendensis seminarii sessionem. Berendus Visser, optimus sodalis noster Nederlandus, cum inter seminarium expertus esset quadraginta participes iam esse nimiam copiam, dixit huius modi seminaris numquam satis frequentes homines ad usum sermonis Latini adduci posse; ergo necesse esse iuniores, qui complura seminaria participaverunt et iam satis loquendi periti sunt, tirones multo frequentiores doceant. Si res ita se habuerint, Dr P.C. Eichenseer seminaria moderari poterit, ubi homines iam exercitatos res subtiliores docebit. De hac re, id est de gradibus in sermonis Latini institutione necessariis, iam saepius cum Dr. P.C. Eichenseer collocutus sum. Hucusque nullum placitum exitum invenimus.

Inter hanc ultimam seminarii sessionem occasio data est imam difficultatem perscrutari. Nam aderant complures iuniores, qui nonnullis seminaris iam interfuerant (una primum omnium seminariorum etiam participaverat) et qui in scholis magistri munere funguntur; qui homines ceteris participibus videbantur aptissimi ad tirones imprimis docendos. Ipsi tamen interrogati rem negabant dicebantque se nescire quomodo seminarium moderarentur. Hic, meo sensu, acutangimus maximum obstaculum, quo impeditur ne latius divulgetur Latinitas Viva. Iuniores, quamvis ad docendum apti, egerint methodo bene excogitata,

quae eis sit certa via in docendo observanda.

Qua methodo tironum progressus aestimabuntur atque gradus institutionis definitur. Ad huius generis methodum conficiendam satis est exempla sequi, quae inveniuntur in hodiernis methodis linguarum vernacularium docendarum. Unum tamen restat et non minimum: quibus sumptibus hanc methodum expertis hominibus conficiendam curabimus?

Quae methodus facile adhiberi possit in diversis regionibus, cum tota Latine conscribenda sit.

Quod opus intra nationum fines non intercludetur et facilius ad felicem exitum duci poterit, auspiciis condenda consociationis Europaeorum docentium, qui Latinitati Vivaе favent.

Gaius LICOPPE

## Problematis Newtoniani solutio:

$$\begin{array}{r}
 X \\
 X - 100 \\
 \hline
 x-100 & 4x-400 \\
 X - 100 +, \dots \text{ sive} \dots & \\
 3 & 3 \\
 \\ 
 4x-400 & 4x-700 \\
 \hline
 -100, \text{ sive} \dots & \\
 3 & 3 \\
 \\ 
 4x-700 & 4x-700 & 16x-2800 \\
 \hline
 +, \text{ sive} \dots & & \\
 3 & 9 & 9 \\
 \\ 
 16x-2800 & & 16x-3700 \\
 \hline
 -100, \text{ sive} \dots & & \\
 9 & & 9 \\
 \\ 
 16x-3700 & 16x-3700 & 64x-14800 \\
 \hline
 +, \text{ sive} \dots & & \\
 9 & 27 & 27 \\
 \\ 
 64x-14800 & & \\
 \hline
 = 2x & & \\
 27 & & 
 \end{array}$$

## De Symposio Saravipontano ... (sequitur)

mathematica, qualis facta esset usque ad nostra tempora. Inde patuit etiam mathesis sublimioris verbis Latinis dilucide doceri posse.

Doctor Henricus Reinhardt "De terminologia philosophica temporibus posthumanisticis aucta" eleganter tractavit, inter alia dicens maximam difficultatem esse in lucubrationibus hodiernis, quae non solum verbis Latinis difficile exprimuntur sed etiam ex sermone originali in aliam linguam vernacularum vix verti possunt, propter sensum plerumque nimis absconditum.

Professor Gregorius (Reijo) Pitkäranta, qui ex Finnia venerat, "De Finnico cultu Latinitatis saeculo praeterito et nostris temporibus" tractavit. Quantum hodie in Finnia aestimaretur et succederet institutio Latina omnes auditores valde mirati sunt.

Doctor Theodericus Sacré, Belga, "De verbis novis poetarum recentiorum et recentissimorum" rettulit. Nonnulla iucunda vocabula collegerat quorum tamen magna pars poetis tantum concedenda est.

Doctor Iohannes Ramminger, Vindobonensis, qui unus est ex Thesauri Linguae Latinae (sequitur p 16)

# DIDASCALICA

## DE STUDIIS LATINIS IN FINLANDIA RENOVATIS

Octavo huius saeculi decennio cum tota institutio scholastica in Finlandia renovaretur, etiam in studia Latina quidnam novi afferendum esset, considerare necesse fuit, quo utiliora exsisterent. Quia in re mox apparuit novis libris opus esse, quibus discipuli hodie in linguam Latinam inducerentur, ut iis luce clarius fieret hanc ne nostra quidem aetate mortuam esse.

Ad nova illa adiumenta componenda qui ingredi auderent, quattuor inventi sunt. Ex his una, Maija-Leena Kallela, in schola est magistra non modo linguae Latinae, sed etiam Anglicae; praeterea in universitate rebus humanis studentes elementis linguae Latinae erudit. Reliqui tres - Teivas Oksala, Unto Paananen, Erkki Palmen - academicis tantum muneribus funguntur atque in studiis Latinis longius progressos docent.

Procedente opere non statim clarum erat, quali titulo communi nascentes novi libri inscriberentur. Tandem inventus est titulus, qui omnibus aptus videretur: AD FONTES. Ex eo enim sine dubio elucet, quidnam auctores opus aggredientes sibi proposuerint: eiusmodi libros componere, quibus legenti non solum studium linguae Latinae discendae iniceretur, sed etiam plane demonstraretur Fenniae quoque animi culturae magnam partem velut ex fontibus antiquitatis Graecae et Romanae emanavisse.

Ab iis libris, quibus adulescentes antea in scholis Fennicis linguam Latinam cognoscebant, volumina AD FONTES inscripta eo imprimis differunt, quod in illis castellum quoddam grammaticae Latinae aedicandum ac variis rebus antiquis velut fulciendum susceptum est, in his autem res antiquae - id est cultus civilis antiquus in varios campos divisus eiusque ad nostra tempora relationes - pro fundamento habentur et arti grammaticae, ut ita dicam, secundus tantum locus relinquitur. Sex sunt AD FONTES libri; duas in series dividuntur, quarum una textus Latini (tekstit) eorumque prolegomena culturalia (kulttuuritausta) Fennice scripta, altera ars grammatica (kielioppi) et exercitia (harjoitukset) continentur. Ex tribus igitur tomis ambae series constant.

Spatium deficiat, opinor, si de utraque serie simul disserere coner. Itaque hac commentatione primam tantum seriem attingam. Quae rationes in ea componenda adhibitae sint, facillime videbis, si titulos Latinos singulorum cursuum et singularum partium, quos infra enumerabo, vel summatim inspexeris:

### AD FONTES I

CURSUS PRIMUS: Litterarum radices

PARS PRIMA: Italia

PARS SECUNDA: Roma

PARS TERTIA: Campania

PARS QUARTA: Lingua Latina

CURSUS SECUNDUS: Vita antiqua

PARS QUINTA: Vita rivata

PARS SEXTA: Vita publica

PARS SEPTIMA: Labor et ludi

CURSUS TERTIUS: Varia facta et facta

PARS OCTAVA: Theatrum antiquum

PARS NONA: Exercitatio corporis

PARS DECIMA: Educatio

PARS UNDECIMA: Fabulae

### AD FONTES II

CURSUS QUARTUS: Ab urbe condita

PARS DUODECIMA: Vices rerum Romanarum

PARS TERTIA DECIMA: Aetas regum

PARS QUARTA DECIMA: Aetas liberae rei publicae

PARS QUINTA DECIMA: Aetas imperatorum

CURSUS QUINTUS: De viris illustribus

PARS SEXTA DECIMA: Cato

PARS SEPTIMA DECIMA: Cicero et Catilina

PARS DUODEVICESIMA: Caesar et Augustus

PARS UNDEVICESIMA: Catullus et Vergilius

PARS VICESIMA: Traianus et Hadrianus

CURSUS SEXTUS: Excudent alii...

PARS VICESIMA PRIMA: Cultura humana

PARS VICESIMA SECUNDA: Epica

PARS VICESIMA TERTIA: Lyrica

PARS VICESIMA QUARTA: Drama

PARS VICESIMA QUINTA: Architectura, sculputra, pictura

### AD FONTES III

CURSUS SEPTIMUS: Litterarum fructus dulces

PARS VICESIMA SEXTA: Familiaria

PARS VICESIMA SEPTIMA: Res publica

PARS DUODETRICESIMA: De natura

PARS UNDETRICESIMA: Numen adest

CURSUS OCTAVUS: Specimina posterioris Latinitatis

PARS TRICESIMA: Latinitas vulgaris

PARS TRICESIMA PRIMA: Latinitas Christiana

PARS TRICESIMA SECUNDA: Latinitas saecularis medii aevi

PARS TRICESIMA TERTIA: Renascentia studia humanitatis

PARS TRICESIMA QUARTA: Latinitas recentium temporum. Latinitas Fennica

CURSUS NONUS: Nosce te ipsum

PARS TRICESIMA QUINTA: Philosophia antiqua

PARS TRICESIMA SEXTA: Humanitas

Cursus igitur novem sunt; qui omnes ex pluribus partibus constant. Quamquam indices supra positi iam per se fortasse satis loquuntur, tamen pauca mihi liceat addere ad ostendendum, quo modo et ordine in rebus antiquis cognoscendis procedatur.

Ab hodierna Italia quin proficiscendum sit, auctores non dubitantes "respicere exemplar vitae" conati sunt ac "vivas hinc ducere voces" (cf. Horatius, Ars poetica 317-318): iam initio primi cursus in scaenam inducuntur tres puellae - una Fennica duaeque Italicae - inter se lingua Latina colloquentes, quam videlicet unam omnes sciunt. Postea eas comitatur amicus alterius puellae Italicae, qui cum iis Latine sermocinatur ac dux est earum praecipue oppida antiqua Campaniae cognoscentium. Mox tamen hae personae fictivae officio suo perfunctae e scaena recedunt. Ultimum colloquium earum est un cursu tertio.

Cognitis in primo cursu non solum "litterarum radicibus", sed etiam variis monumentis in Latio et in Campania erutis ad illustrandam vitam antiquam, et privatam et publicam, transitur, ad quam etiam labor ac ludi circenses et gladiatori

pertinent. Neque alienae ab ea sunt materiae cursus tertii. In iis prolegomenis culturalibus, quibus pars "Educatio" inscripta incipit, de singulis gradibus scholae Romanae refertur, ut discipuli facultatem eam cum hodierna schola comparandi.

In quarto cursu diversae aetates historiae Romanae, quarum in secundo cursu strictim mentio facta est, fusi cognoscuntur. Multae res in eo tractatae quinto cursu repetuntur, qui ante omnia id habet propositi, ut discipulis appareat Romanos antiquos historiam existimasse summam esse rerum a singulis viris illustribus gestarum. Sexto cursui datus est titulus "Excudent alii..." ex Aeneide Vergili (VI 847) depromptus; eo enim auctores ostendere voluerunt Romanos plurimas a Graecis didicisse artes.

Peracto sexto cursu iam tempus est "litterarum fructus dulces" sumendi. In cursu septimo plures, quam antea, textus ex ipsis auctoribus Romanis excerpti sunt. Octavus cursus posteriori Latinitati hactenus in Finlandia haud iure neglectae dedicatus est; neque enim adulescentes hodiernos ignorare oportet, quam solidam condicionem lingua Latina in Europa - in nostra quoque patria - non modo medio aevo et renascentibus studiis humanitatis, sed etiam recentioribus saeculis habuerit. In cursu nono denique exponuntur philosophia et humanitas, quae hodie optimae dotes habenda sunt "fontium" antiquorum.

In unaquaque parte prima posita sunt prolegomena culturalia Fennice scripta, ut discipuli ad textus Latinos transgredientes iam vivam in animis habeant imaginem rerum, quae iis tractantur.

Textuum Latinorum duo sunt genera: 1) textus principalis (perusteksti), 2) textus extensivus (ekstensivinen teksti) vel pensum extensivum (ekstensivinen tehtävä); quorum illo discipuli ad fundamenta linguae et vocabula percipienda, hoc ad celeriorem legendi consuetudinem inducuntur. Textus principales, quorum titulos Latinos hic enumerare longum est, ab auctoribus horum librorum proprio stilo sunt compositi exceptis paucis fragmentis, quae ex auctoribus antiquis aut mediaevalibus excerpta sunt; extensivi vero textus in secundo tomo partim, in tertio fere omnes sunt specimen Latinitatis diversis saeculis scriptae.

Vocabularia ad singulos textus pertinentia plerumque ex tribus constant columnis, quarum una vocabula Latina, altera eadem in linguam Fennicam translata enumerantur, tertia varia cum vocabulis Latinis cognata et ex iis derivata commemorantur; nam nobis Fennis maximi est momenti etiam quidquid studia Latina ad hodiernarum linguarum notitiam augendam praebent, diligentissime carpere.

Textuum principalium quae usitatissima iudicari possunt vocabula, ea in vocabulario crassiculis impressa sunt.

Ad grammaticam et exercitia alias redibo. Nunc superest, ut de linguae Latinae in Finlandia condizione pauca dicam.

Plurimi eorum, qui in schola hanc linguam discunt, studia eius circiter sedecim vel septendecim annos nati in gymnasio ineunt - id est postquam principali quae vocatur schola peracta in supremum gradum institutionis scholasticae transgressi sunt, ut intra triennium cives academic flant. Horum ad usum AD FONTES libri eo ipso triennio perleguntur.

Singulis cursibus peragendis plerumque

duodequadragenae horae tribuuntur. Neque tamen linguae Latinae iam trecentae quadraginta duae (= novies duodequadragenae) horae sunt destinatae; nuper enim unus ex cursibus Latinis decreto magistratum scholasticorum detractus est. Revera igitur non iam novem, sed octo tantum cursus atque circiter trecentae horae restant, earumque ipsarum pars variis rebus extraordinariis in schola accidentibus devorari solet. Praeceptores linguae Latinae, quia nullo cursu prorsus absistere voluerunt, nunc partes selectas duorum cursuum - octavi et noni - ita tractare conantur, ut eae duodequadraginta horarum capiantur spatio.

Sunt et alia, quae condicionem linguae Latinae in scholis nostris debilitent. Hodie inter praeeceptores diversarum artium acerrime certatur de horis, quarum numerus clausus praesto est. Quo fit, ut iis, qui artibus non obligatoris studere velint, saepe facultates studia earum ineundi negentur. Lingua Latina non est ars obligatoria. Minus decem centesimae omnium discipulorum in gymnasium transgressorum eam eligere possunt. Cupientium quidem eam discere numerum crediderim aliquanto maiorem esse.

Erkki Palmen

Lector linguae Latinae

Universitatis Granivicensis sive Jyväskyläensis  
unus ex auctoribus librorum AD FONTES  
inscriptorum.

Hoc electorum textuum corpus Thomas PEKKANEN ad nos misit. Ipse collegit textus Latinos post-classicos; excerpti sunt e.g. ex Evangelio, e grammaticorum Mediaevalium libris, e carminibus variis (Carmina Burana, Stabat Mater, Te Deum...), e philosophis (e.g. Thomas Aquinas). Etiam potes opera Finnica in Latinum versa legere. Hi pulcherrimi textus splendidis imaginibus ornati sunt.



# Nuntii Breves...

## Dies Festi Romani (Römerfest)

Inga Pessarra et Marius Alexa nos certiores fecerunt de proximis diebus festis Romanis, qui Saturni die 26° et Solis die 27° m. Septembribus Coloniae Ulpiae Traianae (hodie Xanten) in septentrionali regione Rhenana Westphalica celerabuntur magna cum munificentia auspiciis municipalibus atque ordinante Doctrice Anita Rieche, eiusdem Coloniae Ulpiae musei curatrix.

Superiore anno circiter decem milia hominum huc confluxerunt, eadem praebita occasione.

Hoc anno, non tantum magistri cum discipulis venient ad ludos scaenicos agendos, sed Inga et Marius palam demonstrabunt quid sit Latinitas Viva.

Cibi modo Romanorum conditi etiam praebebuntur.

Adeant ergo ei quibus Latinitas Viva cordi est ...

Iam statutum est futurum seminarium Helveticum Morsaci habitum iri ultima septimana mensis Iulii a° 1988°.

Etiam statutum est futurum seminarium Belgicum Vestendae habitum iri a die 13° in diem 20um m. Augusti a° 1988°.

## Bene sapiat !

### Mituli Romani

Quomodo haec Apicana compositio effici possit:  
Collige:

- 2 kg. mitulorum
- 2 c. gari
- porrum concisum
- cuminum
- satureiam
- 150 cc. aquae
- 200 cc. vini albi

Haec omnia, praeter mitulos, in magno coctorio collige. Fac bulliat. Adde mitulos. Mitulis coctis, coctorium ad mensam adfer.

## De Symposio Saravipontano ... (sequitur)

scriptoribus, "De verborum significatu vel rationibus lexicorum condendorum" tractavit. Multa narravit de illo opere giganteo, c.t. "Thesaurus Linguae Latinae", iam ante octoginta annos incepto et nondum perfecto. Miratus sum quod vir, qui Latinitatem Vivam non colit, non tantum acroasis suam intellegibiliter legit sed etiam facile atque dilucide quaestionibus Latine respondit.

Ultimus Doctor P.C. Eichenseer "De hodiernis rebus et notionibus convenienter Latine reddendis" tractavit. In fine omnibus participibus (circiter quadraginta) gratias egit.

Mea opinione, hoc symposium utilissimum fuit. Praeter spem demonstravit in omnibus disciplinis linguam Latinam adhiberi posse atque vocabularii lacunas sine magna difficultate compleri posse. Ergo comperimus studiorum universitatem Latinam iam condi posse... alumni tamen restant inveniendi. Sed hoc est aliud consilium...

Gaius LICOPPE.

SIGRIDES ALBERT(A):

## COTTIDIE LATINE LOQVAMVR

Latine légere multum est, Latine intelligere bonum est, Latine scire laudabile est et útille. Latine cantare periucundum est, sed Latine loqui singulare est. Nam Latine qui scit loqui, is praeter intellectiōnem rationālem, quae certe est magni momenti, ipsam condiciónem sermónis Latini, ipsam linguae Latīnae natūram multo mélius, multo plus multóque vividius pércepit et experitūr insuper facultátem possibilitátemque feliciter animadvérit consilia propria cum áliis (étiam extráneis) delectabiliter communicándi. Is vero, qui Latine loqui nescit, quadam ex parte Latine non novit.

Hic vero liber novus aliquárum centum paginárum multis et periucundis linea-méntis rei tractándae peridóneis exornátus quasi dux est ad Latine loquéndum.

Quae sermocinatio viginti quinque capitulis vere oblectabilibus propónitur et exercétur, quibus téxtibus persciénter compósitis condiciones multíplices vitae cottidiánae tractántur. Agitur enim de salutatiōne et valedictiōne, de rebus domésticis, de culina, de caféa in caffeo suménda, de vehiculórum fréquentia, de opéribus cottidiánis, de graphéo, de emissiōnibus radiophónicis et televisificis, de tinnitu telephónico, de statiōnis ferriviáriae tramínibus, de aéróplanis, de horológiis conveniénter temperándis, de tonstrína, de pedifólio, de multis rebus áliis.

Certe quidem iam existant índices quidam verbórum locutionumve sermónis cottidiáni, etiam hodiérni. Sed hoc libro tandem textús continui continéntur et exhibéntur, subiungúntur índices Latino-Theodiscus et Theodisco-Latinus. Sententiárum autem contéxtus paene innumerabilibus locis testibus antiquis, qui perutiliter indicántur, scientifice nítitur. Verbórum primum propositórum vocáles aut longae aut breves signántur, insuper accéntus visibiliter pónitur. Dénique sunt, qui dixérunt se totum librum uno tenore plus semel perlegisse. Utinam tibi sit simile delectaméntum et illectaméntum et invitaméntum et exercitaméntum et incitaméntum et iuvaméntum.

Constat hic liber DM 9,80.

Dena exemplária simul eménda prétio véneunt minóre (síngula DM 7,-).

## Societas Latina

Inscriptio cursuális: Universität — FR 6.3, D-6600 Saarbrücken 11